

CANCELL:
MARTIS B:
. 17 17:

oo Dg

16

DISSSERTATIONEM OCTAVAM
LOGICAE PERIPATETICAE

VESTIGIA

A
THEOLOGIS ORTHODOXIS,
QVANTUM AD DOCTRINAM
DE PROPRIO,

HAUD LEVITER IN SCRIPTIS PRESSA,
EXHIBENTEM,

ADJUVANTE SUPREMO NUMINE,
ET

SUFFRAGANTE AMPLISSIMO SENATU PHILOSOPHICO,
SUB PRAESIDIO

DN. L. CHRISTIANI LUDOVICI,
LOG. ARIST. PROF. PUBL. ORD. ET LL. OO.
AC TALMUD. EXTRAORD.
PUBLICAE AC BENEVOLAE ERUDITORUM ΕΞΕΤΑΣΕΙ
EXPONIT

JOHANN. CHRISTIANUS SALICHUS,
MELSA-MISN. PHILOS. BACCAL.

D. V. NOV. A. O. R. MDCCXII. H. L. Q. C.

LIPSIAE,
CHARACTERE GOETZIANO.

VIRO
ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
JOH. GEORGIO BOERNERO,

JURE - CONSULTO CELEBRATISSIMO , AVGUSTISSIMO
SARMATARVM REGI ET SERENISSIMO SAXONIAE
ELECTORI A CONSILIIS AVLICIS ET JVSTITIAE, ITEM-
QUE PROTO-SYNDRI ECCLESIASTICI CONSI-
LARIO SENIORI,
DE SINGVLIS, QVAE ORNAT, OFFICIS IMMORTA-
LITER MERITO,

^{nec non}
FILIO TANTO PARENTE DIGNISSIMO,
VIRO

MAGNIFICO, SVMME-REVERENDO ATQUE EX-
CELLENTISSIMO,

**DN. CHRISTIANO FRIDERICO
BOERNERO,**

S. S. THEOL. DOCT. FAMIGERATISSIMO, EJVSDEMQUE
P. P. EXTRA-ORD. NEC NON GRAECAE AC ROMANAE
LING. ORD. COLLEGII MAJ. PRINCIPUM COLLEGIATO
ET BIBLIOTHEcae PAULINAE PRAEFECTO
SPECTATISSIMO,

DOMINIS AC PATRONIS SUIS SUBMISSO CULTU AEVITER-
NUM SUSPICIENDIS,

DISSERTATIONEM HANC LOGICAM
PERPETUUM DEVOTISSIMAE VENERATIONIS DOCUMENTUM
DEMISSE OFFERT AC CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

HUMILLIMUS CULTOR

JOHANNES CHRISTIANUS SALICHUS.



Q. D. B. V.

§. I.

DN Disputatione proxime antecedente, ea-
que de *Proprio* prima, per varias accep-
tiones *Proprietatis* itum, atque monstratum
fuit, illud modo Nomi*n* appellativo, mo-
do τῷ metaphorico, modo aequivo*co* &
abusivo, modo ei, quod physice productum non est, mo-
do ei, quod in communione est, contradistingui; vel
quod idem est, *Proprium* aliud esse *Grammaticum*, quo
primam & secundam proprii acceptio*n*em referimus, a-
liud *Logicum*, sed *Antepredicamentale*, aliud *Physicum*, a-
liud *Politicum*. Porro ostensum fuit, quod *Proprium*
generatim communi contradistinguatur, & quod vox ita
supposita accipiatur nunc pro eo, quod individuum atque
personam constituit, nunc pro eo, quod essentiam constitu-
it, nunc pro omni eo, quod essentiam constitutam quomo-
docunque sequitur. Ultima haec acceptio imprimis Theo-
logis nostris in Artic. de Commun. Idiom. frequens, imo
in ipsis Ecclesiae nostrae Libris Symbolicis recepta est, cum
in Epitome Art. Concord. Art. VIII. de Persona Christi haec

Eb. 2

tra-

traduntur : PROPRIETATES Divinae Naturae sunt, esse omnipotentem, aeternam, infinitam, & secundum naturae naturalisque suae essentiae proprietatem, per se ubique praesentem esse, &c. Haec omnia neque sunt, neque unquam sunt humanae naturae PROPRIETATES. Humanae autem naturae PROPRIETATES sunt, corpoream esse creaturam, constare carne & sanguine, esse finitam & circumscriptam, pati, mori, ascendere, descendere, de loco ad locum moveri, esurire, sitire, algere, aestu affligi, & si quae sunt similia. Haec omnia neque sunt, neque unquam sunt Proprietates Divinae naturae. Quibus non possumus non Theologi Jenensis, Joh. Musaei Commentationem in Praelectionibus in Epit. Form. Conc. illustrationis gratia subjecere : PROPRIUM, inquit, p. 274. in respectu vel comparatione ad aliud dicitur quodlibet praedicatum, quod ita convenit uni, ut alteri, cum quo comparatur, non conveniat ; sive sit PROPRIUM in quarto modo, sive accidentis, vel quintum Praedicabile. Ita dico, v. g. quadrupedem esse est PROPRIUM equi in comparatione ad hominem, qui non est quadrupes. Atque hoc sensu F. C. PROPRIETATIS vocem hic accipit, nempe humanae naturae PROPRIETATES vocat omnia praedicata, quae convenient humanae naturae per se, sive in se consideratae, Divinae autem naturae per se non convenient ; & contra naturae Divinae PROPRIETATES hic dicuntur omnia praedicata, quae per se competit Divinae naturae, non autem humanae. Nonnulla his a Musaeo praemissa vid. infra §. V.

§. II.

Proprium talismodi, h. e. Proprium acceptum pro omni eo, quod essentiam constitutam quomodounque sequitur vel saltim, docendi gratia, sequi concipitur, variis a variis illustrari solet distinctionibus, quarum potiores

res in hac Dissertatione juxta cum Synonymis proprii variis ut percurrentur, & in quantum ea quoque in parte Theologi Peripateticorum vestigia presserint, cognoscatur, instituti nostri ratio fert.

1) *Proprium* hoc sensu distinguitur in *Proprium proprium* & *Proprium improprium*, vel potius in *Proprium stricte* & in *latiori significatione* tale. De *Proprio proprium* tali infadicetur. *Improprie* vero tale vulgo omne illud nuncupatur, quod quarti modi non est, atque adeo quartum Praedicabile constituere posse negatur, cuiusmodi est medicum esse, bipedem esse, actu ratiocinari respectu hominis. Insistunt hic Peripateticorum vestigia Theologi & hos inter Joh. Ben. Carpzovius in *Isagoge in Libros symbolicos Ecclesiarum Lutheranarum*, p. 1495, ubi *Proprium*, prout a Theologis in Art. de Commun. Idiom. usurpatur, ita explicat: *PROPRIUM hoc loco non solum notat illud, quod uni, soli & semper convenit, sed etiam sumit generalissime & per quandam ampliationem pro omni eo, quod aliud ab alio quomodounque separat ac distinguit, unde etiam tam actiones, quam passiones, per quas PROPRIETATES PROPRIE ita dictae se exerunt, includit.*

§. III.

2) *Proprium* hoc sensu distinguitur praeterea in *Proprium respectivum*, in *Proprium ποτὲ*, vel *κατά τι*, & in *Proprium absolutum*. De *Proprio absolute* tali infadicetur. *Respectivum* dicitur, quod commune quidem est aliis, relatione tamen ad aliquid habita, *Proprium* est, ut bipedem esse, commune est homini & avi, respectu vero equi, *Proprium* est hominis, qui ex naturae suaे conditione duos requirit pedes; similiter nigrum esse commune est Aethiopi & corvo, respectu vero cygni pro-

prium est corvo. Vocatur Graecis *Proprium πρός ἔτερον*
 & *πρός ἄλλον*, ad aliud, quoniam ad aliud relatum proprium est alicui enti, et si commune sit nonnullis. Latinis dicitur etiam *Proprium relativum*, quia tantum in relatione ad aliud, quod tali accidenti omnino caret, *Proprium* est. Dicitur & *Proprium per comparationem*, quia non absolute, sed tantum comparate, si cum eo compararetur, quod talismodi accidenti desituitur, *Proprium* est. Vestigia hujus distinctionis hinc inde reperias in scriptis excellentissimorum Theologorum, e.g. in Balth. Meishneri *Philos. Socr.* P. I. Sect. I. p. 29. ubi hoc *Proprium* prolixo explicat: *PROPRIUM*, inquit, *πρός ἔτερον* est, quod *per se quidem est commune*, *PROPRIUM* tamen fit *respectivo* & in *ovnēto* ad aliud, quod tali accidenti omnino caret. Sic carnis Christi *PROPRIUM* dicitur edere, libere, dormire, &c. cum tamen haec affectiones omnibus animabilibus convenient. Quoniam autem Divinitas Christi his caret, ob id, in respectu ad eam dicuntur *PROPRIA corporis Domini*. Alio longe sensu *Propria divina* in *absolute* & *relative* talia distinguuntur, quam distinctionem proponit Paulus Tarnovius *Liber de Trinitate*. Fausto Socino opposito, *Cap. X. de personali Spiritus S. Divinitate*, p. 976. ubi *Propria* & *Attributa Divina* in *absolute* & *relative* talia his verbis distinguit: *Virtus* & *efficacia Dei*, *uti* & *Sapientia DEI* caeteraque *Attributa Divina* vel *ABSOLUTE* considerantur, vel *RELATIVE*. Priori respectu sunt omnium trium, posteriori certarum Personarum. *Sapientia enim DEI* in Patre est *ōp̄evn̄tōs* a nullo, in Filio *γεν̄tōs* a Patre, in *Spiritu S. īnπoq̄euτōs* ab utroque. Idem est censendum de reliquis *DEI* *Attributis*. Et p. 988. *PROPRIETATES* sive *Attributa DEI*, v. g. *sapientia*, *potentia*, *bonitas* & *reliqua omnia*, quae in *Scriptura* prædicantur de *DEO*, eique attri-

attribuuntur, vel intelliguntur ABSOLUTE, vel RELATIVE: priori sensu non sunt personae posteriori vero sunt. Ergo haec loca e Tarnovio adducta, non nisi quantum ad phraselogiam attinet, & analogice huc transcripta volumus.

§. IV.

Proprium ποτὲ est, quod soli quidem speciei, sed certo tantum tempore convenit, quo referuntur omnes operationes & actus secundi Propriorum absolute dictorum, ut latrandi, ridendi, hinniendi, &c. Vestigia particulæ hujus doctrinae Logicae deprehenduntur in Joh. Affelmanni Syntagm. Exercitat. Academ. P. I. Disput. VII. quaest. VI. qui probaturus unionem personalem causam esse communicationis Proprietatum contra Calvinianos & speciatim contra Sohnium in Exegesi A. C. idem negantem ex unione ignis & ferri hunc in modum argumentatur: Ferrum ignitum est calidum vel κατ' αὐτὸν vel κατ' ἄλλο. Non prius, quia sic omne ferrum esset calidum etiam non ignitum, quia omnē κατ' αὐτὸν praeponnit κατὰ παντὸς, ut ajunt Logici. Ergo posterius. Et sic ferrum est calidum propter ignem, vel neccesse erit, ut alia detur ratio. Excipiunt Calviniani, ferro saltim communicari actionem ignis, non agendi vim & potentiam, ἐπεγνωκόν δόσιν esse, non veram κατόντων. At inquam, bone vir, satis est quia & actiones propriae sunt, ait Zabarella; Unde & id: ποτὲ dicuntur & pariter ab essentialibus principiis, quanquam non αἰπέσως, emanant. Deprehenduntur eadem vestigia in Joh. Andr. Qvenstedii System. Theol. P. III. p. 92. ubi ex Leonh. Hutteri Form. Concord. & Joh. Gerhardi Disputat. Isagog. de hac acceptione vocis Proprij sic disserit: Per idiomata intelligunt Ecclesiae illas naturarum Proprietates & differentias, quibus tanquam notis & Characteribus quibusdam duae naturae in unitate personae

sonae a se invicem discernuntur ac dignoscuntur, sumitur autem vox ἰδιωμάτων vel stricte, pro ipsis proprietatibus naturalibus, vel late, quatenus ipsas etiam operationes, per quas Proprietates proprie dictae se exerunt, comprehendit. Hoc loco in latiori significatu accipiuntur PROPRIA seu idiomata, itaut praeter Proprietates stricte dictas etiam actiones & passiones, ἐνεργήσαται & ἀποτελέσματα ambitu suo comprehendant, quia idiomata per ἐνεργείας & ἀποτελέσμαta se exerunt, uti inquit B. Gerhardus in Disp. Isag. Disp. IX. de Pers. Christi §. 57.

§. V.

Denominatur vero *Proprium ποτὲ* diversimode.
 1) Dicitur *Proprietas extrinseca*, respectu scil. potentiae, a qua, ceu proprietate intrinseca, promanat; quemadmodum enim Proprietas intrinseca est potentia ex essentia promanans; ita extrinseca est actus secundus a Proprietate intrinseca, sive potentia proveniens. Inhaerent hujus nomenclatura vestigiis Theologi orthodoxi, e quibus Joh. Ben. Carpzovium, in Isag. in Libr. Symbol. p. 1497. sequ. producimus ubi docet, quod extensio situialis sit extrinseca *Proprietas corporis veri*, quatenus quantum est, & quod ea nihil aliud sit, quam actus secundus quantitativa extensionis: *PROPRIETAS corporis INTRINSECA*, inquit, quatenus illud est quantum recte statuitur extensio, nempe quantitativa, quae definitur, quod sit aptitudo ad extensionem localē concomitans multitudinem & ordinem partium substantiae, secundum quam extensionem corpus potest supplere spatiū, & existere in loco. EXTRINSECA vero *PROPRIETAS corporis veri* quatenus quantum est, est extensio situialis & nihil aliud, quam actus secundus, vel exercitium quantitativa extensionis, quod facit, ut corpus sit locale actu & commensuretur loco, quantum

tus

tus sibi in tanta magnitudine competit. 2) Dicitur *Proprium actuale*, quia in operatione consistit opponiturque *Proprio potentiali*, v. g. ridere *Proprium actuale* est, quod risibilitati, ceu potentiali *Proprio* contradistinguitur. Utitur hac notione Balth. Meisnerus in Philos. Sobr. P. I. p. 33. ubi separationem *Propriorum* a suo subjecto hoc argumento probat: *Probo, inquit, a separatione PROPRIORUM ACTUALIUM.* Eadem est connexio inter potentiam in actu constitutam & operationem, quae inter essentiam & proprietatem. Tria enim haec se mutuo consequuntur 1) *essentia*, 2) *essentiae proprietas*, 3) *Proprietatis operatio*. Unde & nonnulli emanationem duplice statuunt, mediatam & immediatam, hac potentias, illa potentiarum esse quata emanare dicunt. 3) Nuncupatur *propria Affectio*, quod vocabulum adhibitum legitur in Art. de S. Scriptura, ubi meditatio Legis divinae *propria Affectio* hominis beati esse dicitur. Produco laudatum Carpzovium, qui l. c. p. 1374. ita cum Schola Peripatetica loquitur: *Requisitum & PROPRIA AFFECTIO hominis beati, qua ab impiis distinguitur, est meditatio Legis Divine assidua, etiam in mediis functionibus humanis non neglecta, ob incessabilem affectum & meditandi studium atque desiderium, quod cessante aliquando actu nequaquam interrumpitur.*

§. VI.

y) *Proprium* distinguitur in *Proprium primi*, *Proprium secundi*, *Proprium tertii* & *Proprium quarti modi*. *Proprium primi modi* convenit soli speciei alicui, sed non omni ejus speciei individuo, ut medicum esse respectu speciei humanae. *Proprium secundi modi* convenit omni individuo alicujus speciei, sed non soli speciei, ut bipedem esse respectu hominis. *Proprium tertii modi* convenit so-

Cc

li

li alicui speciei, & omni ejusdem individuo, sed non semper, ut ridere respectu hominis. *Proprium quarti modi* convenit soli alicui speciei, omnibus ejusdem speciei individuis & semper, ut potentia ridendi in homine. Inhaerent Theologi vestigiis Peripateticorum & hos inter Musaeus in Praelectionibus ad *Epit. F. C. Art. VIII. p. 274*, qui cum doctrinam concordem Theologorum e dicta C. F. repetiisset, haec addit: *Hic quaedam sunt monenda: 1) Notum est, vocabulum Proprietatis & PROPRII accipi diversimode, sicut PORPHYRIUS ostendit, vocabulum PROPRII & VATICANUOR POTISSIMUM MODIS accipi.* Quod autem ad praesens attinet, dicimus *Proprium accipi & dici vel absolute & simpliciter, vel in respectu & comparatione ad aliud: absolute & simpliciter Proprium dicitur, quod uni, soli, & semper convenit; quale est, juxta Porphyrium, Proprium in quarto modo.* Quia vero haec descriptio cadit etiam in differentiam specificam, quae pariter convenit uni, soli, & semper, ideo, ut *Proprium distinguatur a Differentia specifica requiritur insuper, ut Proprium non sit de essentia subjecti, sive in ejus conceptu non involvatur.*

§. VII.

Proprium quartimodi solum hujus loci esse plerique Logici judicant. Nam *Proprium modi tertii* non differre ajunt a *Proprio actuali*, sive a *Proprio ποτέ*, de quo §. VIII. *Proprium secundi modi* non differre a *Proprio respectivo*, sive a *Proprio per comparationem*, de quo §. III. Utrumque vero, vt & *Proprium primi modi* esse *Accidentia Praedicabilia*, atque cum *Proprio*, tanquam quarto *Praedicabili*, contradistinguantur, ad quartum *Praedicabile* non referenda esse. Caeterum si quando accidentia appellantur *Propria*, ut plurimum cum addito *Propria accidentalia* appellantur, etiam apud Theologos, v.g. apud Balth.

Balth. Mentzerum, Tomi. II. Op. P. II. sive in Anti-Martin.
 p. 70. *Confuse admodum scribis & perturbate de essentiali-
 bus Christi (Proprietatibus.) & p. 71. Hinc diligenter nonnulli
 distinguunt inter idiomata essentialia & ACCIDENTA-
 LIA, & essentialia faciunt duplia vel συστατικά, vel πα-
 ξεπόμενα τῇ φύσει. Damascenus vocat ποιέητας στιθεῖται,
 &c. Ad vitandam ambiguitatem ego distinguo ipsam στιθεῖται
 & rei essentiam ab accidentibus sive adjunctis, tum propriis
 tum communibus.*

VIII.

Misis ergo his omnibusque aliis vocis *Proprii*
 acceptionibus unice *Proprium* quarti modi attendunt
 plerique Logici, quod solum quartum Praedicabile con-
 stituere volunt. *Proprium*, inquam, illud, quod essen-
 tiam quidem non constituit, ex essentia tamen necessa-
 rior fluit, & cum soli insit subjecto, convertibiliter de eo
 praedicatur. Quare non est, ut credamus *Proprium* quar-
 ti modi definiri in iis definitionibus, in quibus *Proprium*
 quidem necessarium accidens, non vero convertibile
 cum subjecto vel soli subjecto inesse dicitur, enjusmodi est
 definitio Joh. Paul. Hebenstreiti in *Inst. Log. Sacr.* p. 65.
*PROPRIUM est universale necessarium accidentale, seu uni-
 versale ex essentia & primo conceptu plurium illorum enti-
 um, quibus inesse aptum est, necessario fluens, ex qua postea p. 457-459. Albertinum (Edmundum) L. I. de Eu-
 charist. Sacram. afferentem in hac Propositione: Homo est
 DEUS, praedicari proprium de individuo solide refutat,
 ostendens, DEUM non habere rationem Proprii in ordi-
 ne ad hominem, sive subjectum homo formaliter, & qua
 homo, sive materialiter, & ut dicit personam illam, quae
 revera est οὐδετερος, consideretur. *Proprium* enim acci-
 denti praedicabili contradistinctum non pertinere ad*

Cc 2.

essen-

essentiam & primum conceptum subjecti, sed ex essentia & primo conceptu ejus necessario fluere. At vero, si subjectum homo materialiter & ut dicit personam illam, quae revera συνθετος est, consideretur, Deum ad essentiam & primum ejus conceptum pertinere, & si subjectum illud formaliter & ut homo est, spectetur, neutquam ex ipsis essentia, primoque conceptu fluere, τὸ Deum esse, quia alias omnis homo DEVS esset. Nam haec definitio etiam propria secundi modi, si non omnia, saltem quedam includit, ut e Disputatione tertia de Proprio patebit.

§. IX.

Gaudet Proprium quarti modi variis nominibus apud Peripateticæ Scholæ Sectatores, quorum vestigia haud raro in orthodoxorum scriptis deprehendas. Quamvis non negarim multa ex his etiam Proprio secundi & tertii modi tribui, etiam si rationem denominationis attendamus.

1) Appellatur *Proprium & Proprietas κατ' ἐξοχὴν*, utpote inter *Proprii* modos nobilissimus; ita & appellant Theologi Würtenbergici in solida refutatione compilationis Zinglianae & Calvinianaæ p. 6. monstrantes, localem circumscriptiōnē corporis Christi & ejusdem juxta Majestatem communicatam omnipraesentiam non pugnare: *Omnia igitur Patrum testimonia, inquiunt, maximo numero a compilatoribus allata, quae affirmant corpus Christi uno tantum loco finitum & circumscripsum esse, ideoque non ubique esse, non simpliciter de corpore Christi, sed duntaxat secundum quid, h.e. respectu suae proprieæ naturæ quid per se sit, & in ipsa unione quoque personali permaneat, & quomodo a Divina natura, cui unita est, discernatur, his PROPRIETATIBUS demonstrare voluerunt.* Proprietates κατ' ἐξοχὴν appellat Phil. Nicolaus, Theologus Hamburgensis, Tom. I. Op. Lat. in Meth. Controv. de omnipraesentia Christi secundum naturam ejus humanam p. 131. *Quod primum attinet, inquit, non disceptant Lutherani & Sacramentarii de finitate & finitis PROPRIETATIBUS humanæ naturæ, quandoquidem utrobius docent & consentent, assumptam Domini massam in aeternum manere finitam, retinere essentiales naturæ suae Proprietates.* &c.

2)

2) Appellatur *Proprium propriæ sive κυρίως tale*, conf. §. II.
 3) Salutatur *Proprium Φύσει & Proprietas naturalis*, eo,
 quod naturaliter ex essentia rei fluat, ut docilitas ex essentia ho-
 minis naturaliter proveniens. Ita ex Theologis Balth. Meisnerus
 loquitur in *Philos. Socr. P. I. Sect. I. p. 29.* *Carnis Christi Propri-
 um dicitur edere, &c.* *Proprium hominis dicitur bipedem esse, nimi-
 rum respectu quadrupedum.* Sed de talibus *PROPRIIS non queritur*,
 quoniam *Φύσει non sunt PROPRIA, sed communia acci-
 dentia.*

4) Appellatur *Proprium essentiale, sive Proprietas essen-
 tialis* hinc inde apud Logicos Aristotelicos, quos etiam Theo-
 logi imitantur, v. g. Pelargus, Theologus Marchicus in Epit.
 Theol. universae, sive Explicat. quatuor Libr. Damasceni p. 112,
 ubi Damasceni Doctrinam, quod duae naturae in Christo ἀτέ-
 τως καὶ ἀναλοιώτως unitae fuerint, his verbis approbat: *E-
 ruditissime respondet Theologus noster; duas naturas sibi invicem
 unitas esse ἀτέτως καὶ ἀναλοιώτως: ut nec Divinitas in hu-
 manitatem, nec haec in illam conversa, nec humanitatis αὐτης
 εξια ἐvanescens, nec ex utrisque una aliqua σύνθετος sive
 composita natura facta sit; sed utraque post unionem salva suis
 que praedita ESSENTIALIBUS PROPRIETATIBUS substituerit.* Eodem stylo ex F. C. utitur Carpzovius, p. 1479, *Unio personalis
 non tollit naturarum PROPRIETATES ESSENTIALES* F. C. p.
 589. Ratio 1) quia excluditur b. l. naturarum commixtio. 2) *Et
 naturae unius in alteram mutatio, 3) utraque natura PROPRI-
 ETATES suas ESSENTIALES retinet, 4) Propria unius non pos-
 sunt fieri Propria alterius.*

5) Appellatur *ἰδίωμα κατ' ἔξοχον*, ut cum Andr. Mu-
 sculus Theologus Brandenburgicus in L. L. C. C. sacris ex Patri-
 bus ac Orthodoxis Doctoribus collectis, Loc. III. de Christi In-
 carnat. p. 31. quaerit: *Quatenam est adorandi mysterii unitonis
 inseparabilis in unam personam duarum naturarum Christi &
 communicationis IDIOMATUM explicatio?* Et p. 41. *Quatenam
 sunt regulæ observandas de unitione & communicatione IDIOMA-
 TUM naturarum Christi?*

6) Τὸν ὄντα ἀντικείμενον, qua notione cum Logicis Menzerus utitur in Anti-Martin. p. 71. Hinc, inquit, diligenter nonnulli distinguunt inter ἰδεῖατα ἀντικείμενα ἀντικείμενα & accidentalia; & ἀντικείμενα faciunt duplicita, vel συστατικά, vel παρεπόμενα τῇ φύσει. Damascenus Dιάλ. C. I. vocat ποιότητας καὶ στάδεις, & C. XII. Συνονυμα illi sunt συστατική καὶ αἰδοποίος διαφορὰ καὶ φυτικὸν ὄντα.

7) Attributum κατ' ἔχοντα, quam nomenclaturam a Philosophis Aristotelicis mutuatur Joh. Meisnerus, Theologus Wittbergensis in Exam. Catech. Palat. Disput. XI, ubi sub initium disputationis ostendit, utrumque Attributum divinum misericordiam scil. & justitiam ita esse suasque partes obire, ut neutrum alteri adversetur: Quod autem, inquit, utrumque ATTRIBUTUM in DEO sit & partes suas obeat, ut nec illi quicquam derogetur, nec rerum alteri contrarietur, facile ostendipotest hoc quidem inde, quia justitia & misericordia DEI a parte reinter se cum essentia divina sunt ταῦτα & unum idemque. conf. Wilh. Lyseri Dispp. Catechetico-Poßtill. Dec. I, Disp. IX. §. 9.

8) Attributum absolutum, quia per se & non deum in comparatione ad aliud Attributum est, vide exempla in §. III. & quae ibi praeterea notata sunt, intellige quoque de Casp. Finkii loco, cum in Disput. Catech. Disp. I. §. 32. docet, Attributa divina ad intra considerata idem cum essentia divina esse, & extra in creaturis spectata, aliquam admittere distinctionem, eaque quae ad intra considerantur vocari absoluta, quae ad extra sunt, respectiva dici: Sic enim differunt, atque ut absoluta & respectiva.

9) Attributum essentiale, quia ex essentia promanant, ut quantitas ex corpore. Eadem Phraseologia eloquuntur sua dogmata Theologi in Art. de Attrib. Div. ut Joh. Ben. Carpzovius in Isag. in LL. Symb. Hisce, inquit, Athanasius respicit non ad accidentia quaedam, quae ob perfectionem DEI in DEUM non cadunt sed ad essentia Attributa divinae essentiae, quae re ipsa unum sunt cum essentia Divina. Neque enim in DEO aliud & aliud est propter summam eius simplicitatem. Ut ut vero re ipsa unum sunt Divina Attributa cum Essentia Divine, tamen tam ab essentia, quam a se invicem modo accipiendi nostro distinguuntur, qui concipiendi

modus non mere fictitious est, & rationis rationantis, sed fundamen-
tum suum habet in diversitate tum objectorum tum effectorum.

10) *Affectio κατ' ἔξοχην* in Artic. de DEO & Attributis ejus,
cum docetur, Attributa Divina revera quidem & proprie esse in
Deo, non tamen accidentia esse, quae DEUM afficiant, nec per
modum compositionis, aut inhaesiorum de DEO praedicari, Di-
stinguendum, inquit Joh. Andr. Quensted. in System. Theol. P. I.
de Attrib. Div. p. 296. inter veras rigorosę & strictę dictas pro-
prietates, a subjectis suis realiter distinctas & inter id, quod con-
cipitur & explicatur per modum Proprietatis, aut Attributi. Verae
& rigorosae dictae AFFECTIONES proprieteres, quae sunt ab effe-
tia Divina realiter distinctae in Deo nequitiam locum habent, con-
cipit tamen & explicari adeoque & prædicari aliquid in & de DEO
per modum affectionis, aut Attributi, evidens est. Applicatur
haec eadem vox ad materiam Theologicam de Imagine Dei, ubi
justitiae originalis primaria affectio dicitur naturalis adhaesio per
creationem. Ita Carpzovius in Isag. p. 159. Notatur, inquit, de
imagine DEI quanto AFFECTIO primaria, quae est naturalis adhaesio
per creationem. Conf. Calov. in System. LL. Theol. T. II. p. 223.

11) *Propria affectio & proprium πάθος*, affectio, quia affi-
cit speciem, h. e. quia adest speciei, propria, quia afficit
non nisi unam speciem, cuius Proprium esse dicitur. Eodem
stile utuntur Theologi in Art. de Christo, inter quos est Mentze-
rus in Exeg. A. C. Art. III. n. 8. ubi Christi humanitatem hoc Sylla-
gismo docet: *Cuicunque sere & proprio tribuitur 1) nomen sive ap-
pellatio hominis, 2) & Definitio, 3) & essentiales partes, anima ra-
tionalis & corpus 4) & PROPRIA πάθη, PROPRIAE AF-
FECTIONES 5) & operationes, 6) & effecta, is est vere homo. Atqui
Iesu Christo illa omnia vere & proprie in Scripturis attribuuntur.*
Ergo Christus est vere homo.

12) *Differentia κατ' ἔξοχην*, quo nomine Proprietatem de-
signat Jac. Renoccius Theologus Hamburgensis in Πανοπλίᾳ, li-
ve Armatura Theologica, T. II. p. 80. C. XXVIII. de Propr. Di-
stinct. ad quaestione: *Cum naturarum communicationem, non
auribus solum, sed mente etiam hauserim, eam, quae Proprietatum
est propria, & initio, quia idiomata sit, ostende?* Idiomata sive Pro-
pri-

prietas, sive Attributum, sive DIFFERENTIA est res ea, qua unanatura ab altera differt. (13) Perfectio κατ' ἔγχος, Naturalis conditio, Essentialis comitans, Essentialis consecutivum, proprium accidentis, & quae sunt alia Synonyma, quae brevitatis gratia omittimus.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ Respondentis.

- I. Vocabulum אלחוים & terminatione & significatione plurale est, innuens non quidem determinate Trinitatem, bene tamen pluralitatem Personarum.
- II. Adverbium Ebraicis substantivo junctum adjectivum innuit. v. g. יוֹם טהָר dies cras i. e. crastina.
- III. Syllogismus minus accurate a nonnullis salutatur finis Logicae internus, cum saltim sit medium Logicum.
- IV. Absit, ut perfectissimo NUMINI tribuamus potentiam passivam.
- V. Dari cognitionem DEI ex Lum. Nat. dubium haud est.
- VI. Externa circa res Ecclesiasticas potestas Jure Divino ad supremum Magistratum politicum in qualibet Republica spectat.
- VII. Imperium Rom. ad Germanos per Carolum M. non ex gratia Pontificis est translatum, sed Carolus justis id sibi acquisivit titulis.
- VIII. Iudeum quendam in mundo usque ad adventum Christi vagari, falsissimum est.


99 A 6989



56,

Retro ✓

B.I.G.



ATIONEM OCTAVAM
CAE PERIPATETICAE
STIGIA
A
GIS ORTHODOXIS,
UM AD DOCTRINAM
PROPRIO,
ITER IN SCRIPTIS PRESSA,
EXHIBENTEM,
ANTE SUPREMO NUMINE,
ET
AMPLISSIMO SENATU PHILOSOPHICO,
SUB PRAESIDIO
IRISTIANI LUDOVICI,
PROF. PUBL. ORD. ET LL. OO.
TALMUD. EXTRAORD.
BENEVOLAE ERUDITORUM ΕΞΤΑΣΕΙ
EXPOΝIT
CHRISTIANUS SALICHIUS,
A-MISN. PHILOS. BACCAL.
7. A. O. R. MDCCXII. H. L. Q. C.
LIPSIAE,
CARACTERE GOETZIANO.